

rioriam exigitur duplex gratia: una gratum faciens, quæ informat conversionis actum, & meritum reddit; alia gratis data, à qua elicitur substantia actus, & quæ liberum arbitrium inclinât ad volendum. Sed istam gratiam ponere non videtur necessarium, nisi ipsa libertas arbitrii gratia dicatur, quæ proculdubio nobis à Deo est, vel aliquæ occasiones, quæ quandoque dantur hominibus à Deo ad conversionem, ut instructio legis, & castigatio ad humilitatem, & alia hujusmodi; sine quibus tamen possibile est gratiam consequi: quia si homo facit quod in se est, Deus dat ei gratiam. Ad hoc autem faciendum non exigitur aliquid aliud: illud enim ad quod non potest per se liberum arbitrium, non est in homine ut faciat illud: illud enim in nobis esse dicitur cuius nos domini sumus. Unde positio ista implicat contradictionem, dum (1) ponit quod ad faciendum illud quod in nobis est, liberum arbitrium non sufficit.

Et ideo aliter est dicendum, quod ad eliciendum actum conversionis sufficit liberum arbitrium, quod se ad habendam gratiam per hunc actum præparat, & disponit; sed efficacia conversionis ad meritum non potest esse nisi per gratiam: unde unus & idem motus est conversionis liberi arbitrii, in quo gratia infunditur, qui est dispositio ad gratiam, secundum quod exit à libero arbitrio, & meritorius, secundum quod gratia informatur. Et simile est etiam in motu contritionis, quo primo justificatur impius. Qualiter autem hoc sit possibile, potest videri ex his quæ in natura contingunt. In eodem enim instanti quo primo est dispositio necessitans in materia, forma substantialis inducitur. Cum enim generatio sit terminus alterationis, oportet in eodem instanti alterationem terminari ad dispositionem quæ est necessitans, & generationem ad formam substantialem. Sed quia alteratio est motus continuus; ideo principium alterationis, & medium quo materia disponitur ad formam substantialem, tempore præcedunt introductionem formæ substantialis. Motus autem voluntatis qui disponit ad gratiam, est simplex, & non continuus: ideo vel primus tantum est sufficiens dispositio ad gratiam, vel ultimus inter plures, qui agit in virtute omnium præcedentium: & ideo cum illo gratia infunditur.

Ad primum dicendum, quod quamvis virtus liberi arbitrii de se possit in substantiam actus, non tamen in formam ejus, per quam meritorius est.

Ad secundum dicendum, quod motus aversionis, & conversionis, secundum quod sunt ex libero arbitrio, præcedunt infusionem gratiæ in quibusdam, & casum quorundam, non tempore, sed natura secundum viam materiæ, & generationis, prout dispositio præcedit formam.

Et per hoc patet solutio ad tertium.

Ad quartum dicendum, quod aliquid dicitur fieri, vel operatum esse, dupliciter. Vel sicut ex contrario, prout dicimus, quod ex nigro fit album; & hoc modo dicitur gratia operans, qua de malo fit bonus: & sic non fuit in Angelis, ut in littera dicitur. Alio modo dicitur aliquid fieri ex negatione, vel privatione, sicut ex non lucente lucens, & ex non figurato figuratum; & sic dicitur gratia operans, qua de non bono gratuita bonitate fit tali bonitate bonus: & sic gratia operans fuit in Angelis.

(1) Al. postuit. (2) Al. habitudinem.
EX EDIT. P. NICOLAI. (a) Jam notatum est supra, non expresse apud Bernardum inveniri, sed ex aliis ejus verbis æquivalenter colligi posse.

ARTICULUS II.

Utrum Angeli meruerint suam beatitudinem.

I. P. quæst. LXXI. art. 4.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod Angeli suam beatitudinem non meruerint. Meritum enim præcedit præmium, sicut via terminum. Sed in Angelis non potuit esse meritum, quia ante (2) beatitudinem gratiam non habebant, quæ est radix merendi, ad minus si in gratia creati non sunt. Ergo videtur quod suam beatitudinem non meruerint.

2. Si dicatur, quod merentur eam per ministeria, quibus nobis jubente Deo obsequantur; contra. Secundum Dionysium (de cœlest. Hierar. cap. VII.) superiores non mittuntur ad explendum usum exterioris ministerii. Si ergo inferiores per ministerium merentur, videtur quod injuste cum superioribus agatur, quibus merendi facultas non conceditur.

3. Præterea. Ordo unus in infinitum non excedit alterum. Si ergo inferiores continuo merentur per exterius ministerium, videtur quod quandoque perveniant ad gradum superioris ordinis: & ita esset ordinum confusio.

4. Præterea. Efficacia merendi in operatione est vel propter difficultatem operis, vel propter perfectionem. Sed non propter difficultatem, quia Angeli sua ministeria explent sine labore omni, & difficultate. Ergo si propter perfectionem, cum operatio qua Deum contemplantur, sit nobilior, & perfectior, videtur etiam quod per illam mereantur: & cum hæc sit communis omnibus beatis, & non interrupta, videtur quod facti sint in continuo merito; & ita quod eorum gloria in infinitum crescat.

Sed contra. In quibuscumque invenitur perfectio unius rationis, in eis sunt eadem principia consequendi perfectionem illam. Sed in Angelis, & hominibus est beatitudo unius rationis. Cum ergo homines ad beatitudinem sine merito non perveniant, videtur quod nec Angeli.

Præterea. Secundum Bernardum, (a) in hoc fuit peccatum Angeli quod gloriam sine merito habere voluit. Non autem hoc fuisset ei peccatum, si ad hoc ordinatus esset ut beatitudinem haberet, quam non mereretur. Ergo videtur quod non habuerunt beatitudinem sine merito.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod sustinendo Angelos in gratia fuisse creatos, planum est ad hoc respondere: quia sic certissime meritum præmium præcessisset. Si autem in gratia creati non sunt, sed gratia fuit eis simul data cum gloria; tunc sunt tres opiniones.

Quidam enim dicunt, quod suam beatitudinem nullo modo meruerunt, nec fuit eis data gratia ad merendum, sed ad beate vivendum. Hoc autem non videtur conveniens: quia beatitudo habet rationem præmii; præmium autem sine merito esse non potest, sicut nec poena sine culpa.

Alii

QUÆSTIO II.

Alii dicunt, quod per opera quæ sunt post confirmationem, quibus nobis ministrant, merentur beatitudinem, quam prius acceperunt, sicut aliquis miles meretur munus sibi à Rege collatum, postquam militando. Sed hoc etiam, simpliciter loquendo, non videtur conveniens: quia beatitudo habet rationem termini; meritum autem, cum sit tendens in aliud, habet rationem viæ: unde non videntur se posse compati, ut aliquis beatus in statu merendi existat. Sed secundum quid potest sustineri, ut scilicet mereri intelligantur non præmium essentielle, quod est eorum beatitudo, sed præmium accidentale, quod est gaudium de illis qui per eorum officia salvantur.

Et ideo videtur cum aliis dicendum, quod meritum in eis non præcessit præmium tempore, sed natura: quod facile intelligi potest ex his quæ supra dicta sunt. Sicut enim actus liberi arbitrii est dispositio ad gratiam, ita actus informatus gratia est meritum gloriæ. Unde unus & idem conversionis motus, est præparatio ad gratiam, secundum quod est ex libero arbitrio, & meritorius gloriæ, secundum quod est gratia informatus: & iterum fruitionis actus, secundum quod completur per habitum gloriæ.

Ad primum ergo dicendum, quod non est necessarium meritum præcedere præmium tempore, sed natura tantum: quilibet enim actus meritorius habet aliquod præmium sibi adjunctum, sicut & quilibet actus inordinatus habet poenam, ut dicit Augustinus in Lib. I. Confess. (cap. XII.)

Ad secundum dicendum, quod etsi superiores non

mittantur, nihilominus tamen per eos regulantur inferiores in suis ministeriis; & ideo meritum respectu accidentalis præmii commune est.

Et per hoc patet responsio ad tertium. Et præterea ordines distinguuntur secundum gradum in præmio essentiali, quod per ministeria non augetur.

Ad quartum dicendum, quod actus ministerii Angelorum habent efficaciam merendi ratione effectus, scilicet salutis hominum quibus ministrant, de quo redundat in eis gaudium, quod est accidentale præmium.

EXPOSITIO TEXTUS.

Verti (3) odio habere, vel invidere. Videtur hoc etiam esse impossibile: quia sicut nihil amatur nisi bonum, vel in ratione boni; ita nihil odio habetur nisi ratione mali. Sed in Deo nulla est ratio mali. Ergo odio haberi non potest. Sed contra est quod dicitur in Psalm. (LXXVII. 23.) *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.*

Ad quod dicendum, quod ipsum Deum, secundum quod est, nullus odio habere potest; sed ratione alicujus effectus ejus, qui contrariatur voluntati, in quantum est puniens, vel prohibens, vel aliquid hujusmodi.

Non ita quod prius data (4) subtraheretur, sed quia nunquam est apposita, ut converterentur: ex quo videtur quod in gratia creati non sunt. Sed hæc sunt verba Magistri, qui hujus opinionis videtur fuisse.

DISTINCTIO VI.

Quod de majoribus, & de minoribus quidam ceciderunt, inter quos unus fuit celsior, scilicet Lucifer.

Præterea sciri oportet, quoniam sicut de majoribus, & minoribus quidam persisterunt, ita de utroque gradu quidam corruerunt: inter quos unus fuit omnibus aliis cadentibus excellentior, nec inter stantes aliquis fuit eo dignior, sicut testimoniis auctoritatum monstratur. Ait enim Job (cap. XL. 14.) „ Ipse „ est principium viarum Dei: „ & in Ezechiele legitur (cap. XXVIII. 12.) „ Tu signaculum similitudinis, „ (5) plenus scientia, & perfectione, decorus in deliciis paradysi Dei fuisti: „ quod exponens Gregorius (super Job Libr. XXX. Mor. cap. XXIV. & deinceps usque ad finem Libri) ait: „ Quanto magis in eo sub- „ tilius est natura, eo magis in illo imago Dei similis insinuatur impressa. „ Item in Ezechiele (cap. XIII. 13.) legitur: „ Omnis lapis pretiosus operimentum ejus; „ idest, omnis Angelus quasi operimentum ejus erat: quia, ut dicit Gregorius (hom. XXXIV. in Evang. supra Luc. XV.) in aliorum comparatione cæteris clarior fuit. Unde & vocatus est Lucifer, sicut testatur Isaias (XIV. 12.) „ Quomodo (inquit) cecidisti (6) „ Lucifer, qui mane oriebaris? „ Qui non unus ordo, sed unus spiritus accipiendus est: qui, teste Isidoro (de summo bono Lib. I. cap. XII.) postquam creatus est, eminentiam naturæ, & profunditatem scientiæ suæ perpendens, in suum Creatorem superbit, intantum quod etiam Deo se æquare voluit, ut in Isaiâ (cap. XIV. 13.) dicitur: „ In cœlum ascendam, super astra (7) cœli exaltabo solium meum.... „ & ero similis Altissimo. „ Similis quidem Deo esse voluit, non per imitationem, sed per æqualitatem potentiae.

Unde, & quo defectus fuit merito suæ superbiæ.

ET tanta superbiæ merito de cœlo, idest de empyreo (8) cœlo, in quo cum aliis fuerat, defectus est in istum caliginosum aerem, cum omnibus suæ pravitatis consortibus. Nam, ut Joannes ait in Apocal. (cap. XII.) draco de cœlo cadens, secum tertiam partem stellarum traxit: quia Lucifer aliis major non solus cecidit, sed cum eo alii multi, qui ei in malitia consenserunt: eosque cadentes hujus caliginosi aeris habitaculum recepit. Et hoc ad nostram probationem factum est, ut sint nobis causa exercitationis. Unde Apostolus (Ephes. VI. 12.) „ Colluctatio (9) est nobis adversus principes, & potestates mundi hujus, & adversus rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in cœlestibus: „ quia demones.

In II. Sent. Tom. II.

(3) Supple fuit, (4) Al. subtrahuntur. (5) Vulgata: plenus sapientia, & perfectus decore: & in deliciis paradysi Dei fuisti. (6) Vulgata addit de cœlo. (7) Vulgata Dei. (8) Al. deest cœlo. (9) Vulgata: Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, &c.

nes, qui sunt spirituales, & nequam, in hoc turbulento aere, nobis propinquo, quod coelum appellatur, habitant: unde & diabolus aeris princeps dicitur.

Quod non est concessum eis habitare in caelo, vel in terra.

NON enim est eis concessum habitare in caelo, quia clarus locus est, & amoenus: nec in terra nobiscum, ne homines nimis infestarent; sed juxta Apostoli Petri doctrinam (a) in Epistola canonica traditam, in aere isto caliginoso, qui eis quasi carcer usque ad tempus iudicii deputatus est. Tunc autem detruentur in baratrum inferni, secundum illud (Matth. xv. 41.), Ite (10) maledicti in ignem aeternum, qui prae paratus est diabolo, & Angelis ejus.

Quod daemones aliis praesunt, & habent etiam alias praelationes.

ET sicut inter bonos Angelos alii aliis praesunt, ita & inter malos alii aliis praelati sunt, & alii aliis subiecti. Quamdiu enim durat mundus, Angeli Angelis, & homines hominibus, & daemones daemonebus praesunt; sed in futuro omnis evacuabitur praelatio, ut docet Apostolus, I. ad Cor. xv., Habent quoque secundum modum scientiae majoris, vel minoris, praelationes aliis majores, vel minores. Quidam enim uni provinciae, alii uni homini, alii etiam uni vitio praesunt. Unde dicitur spiritus superbiae, spiritus luxuriae & huiusmodi: quia de illo vitio maxime potest homines tentare a quo denominatur. Inde est etiam quod nomine daemoneis divitiarum vocantur, scilicet mammona: est enim nomen daemoneis mammona, quo nomine vocantur divitiarum secundum Syram linguam. Hoc autem non ideo est, quod diabolus in potestate habeat dare, vel auferre divitias cui velit; sed quia eis uritur ad hominum tentationem, & deceptionem.

An omnes daemones sint in hoc aere caliginoso, an aliqui sint in inferno.

SOlet autem quaeri, utrum omnes in isto aere caliginoso sint, an jam aliqui sint in inferno. Quod in infernum quotidie descendant aliqui daemoneum, verisimile est, quia animas illuc cruciandas deducunt: & quod illic aliqui semper sint, alternatis forte vicibus, non procul est a vero, qui illic animas detinent, atque cruciant. Quod autem malorum animae illuc descendant, atque ibi puniantur, ex eo constat quod Christus ad inferos descendit, ut justos qui ibi tenebantur, educeret. Si enim justus illuc descendebat, multo magis iniustus: & sicut tradit auctoritas, (b) cum justos eduxit, iniquos ibi reliquit. Momordit enim infernum, non absorbit.

Quidam putant Luciferum in inferno religatum ex quo tentavit Christum, & victus est; quem primum hominem tentasse, & vicisse dicunt.

DE Lucifero autem quidam opinantur quod (11) ibi religatus sit, & ad nos tentandos non habeat nunc accessum: quia in Apocalypsi (cap. xx. 7.) legitur: „Cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, & exiet, & seducet gentes:“ quod erit novissimo tempore Antichristi, quando erit tanta tribulatio (Matth. xxiv.) ut etiam, si fieri potest, moveantur electi. Quem ibi religatum dicunt ab eo tempore quo tentavit Christum in deserto, vel in passione, & victus est ab eo. Ipsum putant primum hominem tentasse, & vicisse, & secundo Deum; sed ab eo victum esse, & ideo in inferno religatum. Alii autem putant, ex quo cecidit, pro peccati sui magnitudine illic fuisse demersum.

Quod Lucifer modo non habet potestatem quam habebit tempore Antichristi.

SED sive in infernum demersus sit, sive non, credibile est non eum habere facultatem accedendi ad nos, quam habebit in tempore Antichristi, in quo fraudulenter, ac violenter operabitur. Et ideo forte dicitur tunc solvendus, quia tunc dabitur ei a Deo potestas tentandi homines, quam modo non habet.

Quod daemones semel victi a sanctis, non acedunt amplius ad alios.

Aliis quoque qui a sanctis juste, & pudice viventibus vincuntur, potestas alios tentandi videtur adimi. Unde Origenes (hom. xv. in Josue super cap. xi.) „Puto, inquit, sane, quod sancti repugnantes adversus istos incentores, & vincentes, minuunt (12) exercitum daemoneum, vel quod quam plurimos eorum interimant, ne ultra fas sit illi spiritui qui ab aliquo sancto caste, & pudice vivente victus sit, impugnare iterum alium hominem.“ Hoc autem quidam putant intelligendum tantum de illo vitio in quo superatus est: ut si de superbia aliquem virum sanctum tentat, & vincitur, ulterius non liceat ei illum, vel alium de superbia tentare.

(10) *Vulgata* discedite maledicti. (11) *Al. deest* ibi. (12) *Al. exercitum.*

Ex Edit. P. Nic. (a) Nihil tale in epistolis Petri; sed in secunda oppositum potius indicatur, nempe quod rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reservari: etsi ex his ultimis verbis implicite colligi possit, quod usque ad iudicii diem quo totaliter in tartarum relegantur, perambulent circa nos, juxta illud etiam ex Epist. I. cap. v. *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit &c.*

(b) Nimirum Gregorii hom. xxii. in Evang. explicantis hoc sensu illud Osee xlii. *Ero mors tua, & mors morsus tuus ero, inferne.*

DI-

DIVISIO TEXTUS.

Ostensa divisione malorum Angelorum a bonis per aversionem, & conversionem, hic incipit determinare ea quae consequuntur aversos, & conversos, secundum quod in eis conveniunt, vel differunt: & dividitur in partes tres. In prima determinat ea quae consequuntur eos quantum ad naturae cognitionem. In secunda, ea quae pertinent ad potestatem, vii. dist. ibi: *Supra dictum est, quod Angeli qui perstiterunt, per gratiam confirmati sunt.* In tertia, ea quae pertinent ad corporum assumptionem, viii. dist. ibi: *Solet in quaestione versari apud doctos, utrum Angeli omnes, boni scilicet, ac mali, corporei sint.* Prima in duas. In prima determinat veritatem; in secunda movet quaestionem ex determinatis, ibi: *Solet autem quaeri, utrum omnes in isto aere caliginoso sint.* Circa primum duo facit. Primo ponit eorum conditionem quantum ad naturae gradum ante peccatum; in secunda conditionem eorum post peccatum, ibi: *Et tanta superbia merito de caelo... defectus est in ista caliginosum aere.* Et primo quantum ad locum; secundo quantum ad praelationis gradum, qui gradum naturalium sequitur, ibi: *Et sicut inter bonos Angelos alii aliis praesunt; ita & inter malos alii aliis praelati sunt.*

Solet autem quaeri, utrum omnes in isto aere caliginoso sint. Hic movet quaestionem quantum ad ea quae dicta sunt de loco: & primo determinat eam in communi; secundo in speciali, ibi: *De Lucifero autem quidam opinantur quod ibi religatus sit.* Ubi primo determinat eam quantum ad primum Angelum; secundo quantum ad alios, ibi: *Aliis quoque, qui a sanctis juste, & pudice viventibus vincuntur, potestas alios tentandi videtur adimi.*

QUESTIO I.

HIC quinque quaeruntur. Primo. De quo ordine fuit supremus Angelus inter peccantes, qui Lucifer dicitur.

Secundo. Qualiter peccatum aliorum ad ejus peccatum se habeat.

Tertio. De loco eis post peccatum debito.

Quarto. Si est inter eos praelationis gradus.

Quinto de pugna eorum ad nos.

ARTICULUS I.

Utrum Lucifer fuerit supremus omnium Angelorum.

I. P. q. LXIII. art. 7.

AD primum sic proceditur. Videtur quod Lucifer non fuit supremus omnium: quia ad eum secundum Ezech. xxviii. 7. dicitur: *Tu Cherub protegens, & extensus.* Sed ordo Cherubim secundum Dionysium (cap. iv. de coel. Hier.) & Gregorium (hom. xxxiv. in Evang.) non est supremus ordo. Ergo videtur quod non fuit de supremo ordine.

2. Praeterea. Damascenus (de orth. Fid. Lib. II. cap. iv.) dicit de ipso, quod praerat terrestri ordini. Sed inferioribus ministeriis, secundum Dionysium (de coel. Hierar. cap. iv. vi. & ix.) praerentur inferiores ordines. Ergo videtur quod fuerit de inferioribus ordinibus.

3. Praeterea. Natura cujuslibet Angeli ordinata est ad beatitudinem. Sed non est probabile quod di-

vina ordinatio in natura nobilissima totius universi frustrata sit. Ergo videtur quod iste Angelus, qui ceteris superior fuit, a beatitudine non cecidit.

4. Praeterea. Peccatum non potest esse in natura aliqua, nisi habente possibilitatem, quae consequitur eam secundum quod ex nihilo est. Sed superior Angelus quanto Deo, qui est actus purus, vicinior fuit, tanto minus de possibili habuit. Ergo videretur quod peccatum in eo minime locum habere potuit.

Sed contra est quod dicitur Ezech. xxxi. 8. *Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, neque pulchritudini eius.* Sed per lignum paradisi significantur Angeli. Ergo videtur quod Angelo peccanti, ad quem verba praedicta referuntur, nullus Angelorum aequari potuit.

Praeterea. Gregorius dicit in littera (hom. xxxiv. in Evang.) quod in aliorum comparatione ceteris clarior fuit. Sed ordo claritatis est secundum gradum naturae. Ergo peccans Angelus ceteris altior fuit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod hanc quaestionem Augustinus movere I. super Gen. ad litteram (cap. xvi. i.) & indeterminatam relinquit, eo quod de his quae pertinent ad Angelos, paucis voluit asserendo tradere. Sed postmodum Gregorius (Lib. XXXII. Moral. cap. xxiv. super Job cap. xl.) expresse determinat, quod fuit altior ceteris, non solum peccantibus, sed etiam stantibus, cui consentit communis sententia: quae quidem probabilis est, tum propter multas auctoritates quae hoc figurative exprimere videntur: tum etiam ex hoc quod non est probabile Creatoris aequalitatem aliquo modo illum spiritum appetuisse qui etiam alteri creaturae subiectus erat; Unde oportet quod ille qui hoc appetit, ceteris fuerit altior.

Ad primum ergo dicendum, quod dona inferiorum ordinum, quibus nominantur, sunt etiam in superioribus ordinibus eminenter: unde superior ordo nomine inferioris nominari potest: & ideo dico, quod Angelus ille non dicitur Cherub, quia de ordine Cherubim fuerit, sed magis de ordine Seraphim. Dicitur autem Cherub ad exprimendum qualitatem culpae: quia enim per elationis vitium cecidit, ideo a scientia nominatur, quam nomen Cherub designat, de qua dicit Apostolus I. Corinth. viii. 1. *Scientia inflat.*

Ad secundum dicendum, quod secundum quosdam Damascenus loquitur recitando opinionem quorundam, & non veritatem asserendo. Vel dicendum, quod quamvis inferiorum ordinum sit praerferri terrestribus, secundum hoc quod operationes immediate exequantur, tamen etiam illi qui sunt superiores, terrestribus praesunt in hoc quod inferiores illuminant, & eorum actus dirigunt.

Ad tertium dicendum, quod divina ordinatio de nulla creatura frustrari potest: quia etiam si deficiat ab uno ordine, relabitur in alium ordinem, ut in I. Lib. dictum est.

Ad quartum dicendum, quod Angeli non agunt secundum necessitatem naturae; & ideo ille in quo est minor dispositio ad peccatum, potest plus peccare: & ideo peccatum etiam primi Angeli ceteris gravius fuit, in quantum in eo minus fuit flexibilitas ad peccandum.

AR-